



## Universitätsbibliothek Paderborn

### V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi  
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum  
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicationem Pagina  
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Provisiones Senectutis, Per Tres  
Partes Distributæ - In quibus raræ ac penenecessariæ Veritates, cum  
omnibus Christi fidelibus, tum potissimum Gratiarum Cœlestium,  
lucrorumque æternorum avidibus, quà theoreticè, quà practicè  
proponuntur

**Družbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066391**

Provisio 2. Per suppletionem paucitatis perfectorum operum,  
meritorumque hactenus partorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45462**

## PROVISION II.

*Per suppletionem paucitatis perfectorum operum, meritorumque hactenus partorum.*

Considera omnes annos præteritos vitæ tuæ, usque ad præsentem, in eisque omnibus diligenter attende, quantum tibi ex eis perditum sit, partim nihil agendo, partim non agenda agendo, partim agenda non agendo, partim inutilia tibi agendo, partim nociva & noxia agendo, partim bona quidem, sed non benè agendo, partim benè quidem fortasse, sed non perfectè, neque consummatè agendo, partim extra gratiam atque amicitiam DEI, partim extra intentionem rectam, perfectam, suplimem, defæcatamque agendo, partim non cum eo, quo & par fuit, & fieri potuit conatu, fervore, industria, liberalitate in Deum studioque agendo. Infantiae & primæ pueritiae annos, in solidum perdidisti sine fructu, reliquas ætates, jam scilicet rationis compotes, maximam partem ita impendiisse te reperies, ut rationis usum accepisse ad hoc solum videri possis, ut pejus, quam ante rationis usum, hoc est, cum peccato operari posses. Quod si etiam in proiectiorem, ac si Superis placet, in perfectiorem vitam tuam, intendere oculum considerationis placet: ibi quidem forsitan minus vitæ in perniciosa & criminosa opera impensum reperies: attamen etiam inibi reperies, quod in DEI lumine ipsem reprehendas, erubescas, defleas, vel in ipsismet bonis & perfectis tuis.

Considera seu meliorem conscientię tuę portionem ac recessum, seu Cælestium depositorum

torum veluti locum, in eoque bona cum Divinitatis indulgentiâ, omnes bonorum tuorum operum, omnes meritorum, omnes donorum, omnes gratiarum, omnes beatitudinum in futuro possidendarum, jam autem in præsenti merendo acquisitarum thesauros diligenter inspice, pondera, dinumera. Utinam non fallar, nec fallaris tu ipse, si non ibi omnia scrinia tuis opibus destinata conservandis, vacua magis, quâm nunc autumas, comperies: idque ideò: quia bona tua, in oculis quidem tuis bona, at in oculis Divinæ Majestatis minime bona, exigua valde bona, æternitatis præmio, vel prorsus nullo, vel admodum exiguo digna reputantur. Itaque thesauri illi tui, thesauri sunt demeritorum magis, quâm meritorum, aut si meritorum, parvorum certe atque paucorum. Atque ut exemplo res illustretur vel unico. Sacerdos es, plurium, etiam annorum, diebus singulis Officium Divinum recitasti: hasce tot tanti officii recitationes, in scrinio beatitudinis depositas vide, recenze, audesnè tibi ex mente conscientiæ tuae polliceri, totidem eas à te inveniri conservatas in cælo, quot eas recitando decurristi in vita præsentis? putasne, tale earum ibi esse pretium, quale esse par foret, si diligentia recitandi tanto pretio apud DEUM ponderatorem dignas fecisset? Pari ratione expendas licet cætera tua opera virtutum atque perfectionum, uti sunt Missæ, Confessiones, communiones, examina, Coronæ, Mortificationes, labores &c. Expendas quoque similiter opera, quæ naturâ suâ indifferentia sunt, & non nisi ex modo motivoque agendi, pretium habent. Eheu quantis tu olim ventris & vacuitatibus

tatibus impletos reperies thesauros tuos scrinia-  
que tua in cælo, quæ nunc putas plenissima esse  
auro, argento, lapidibusque pretiosis. Nimi-  
rum Egestatem operatur manus remissa, nimirum *Prov. 10. 4.*  
*maledictus qui facit opera Dei negligenter.* Vide *Jer. 48. 10.*  
itaque, vide ô homo, hac jam ætate declinante,  
ne, centum annorum licet, puer tamen moria-  
ris, ne, qui modo tuâ, aut etiam fortè alienâ  
opinione Vir divitarum Cælestium existimaris,  
in die immutationis tuæ nihil omnino, aut parum  
quidpiam invenias in manibus tuis, *inventes in-*  
*quam ligna, ferrum, stipulas fuisse, quæ tu in* *1. Cor. 3. 12.*  
præsenti existimas aurum, argentum, lapides  
pretiosos, à te super ædificata & congregata, fi-  
dei, vocationi, operationique exstitisse.

Nunc igitur, mi homo, si sapis: ini consi-  
lium, fac deliberationem, fac & conclusionem,  
atque præscribe vitæ subsecuturæ rationem,  
quâ hisce omnibus deceptionibus tuis occurras,  
& thesauros tuos revera perfectis consummatis-  
que virtutum operibus repleas. Ut cum Judicis  
æterni districtio advenerit, cum judex *Christus*  
*ventilabrum in manus suâ acceperit, cum areæ suæ,*  
vitæ scilicet tuæ perpurgationem & ventilatio-  
nem inchoârit: nihil palearum, plenum autem  
granorum purgatissimorum, in vitâ tuâ se repe-  
nisse gaudeat, totumque in horreum congreget  
& inferat.

PRO-